



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. XI. MM. Sebasteni. 9. Martii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

SS. XL. MM. SEBASTENI. 9. Martii.

S. I.

AMbulaverat per omnes cruciatus impietas,
 & exhausta tellus nulla jam reliqua tormenta habuit ; cùm ecce ad aquas, & aërem est itum. Nudi sub frigidissimo cælo XL. Heroes Sebasteni in lacu collocantur gelu rigente. Sed thermas putasses, ita nunquam alias major in omnibus ardor eluxit ; si unū modò excipias, qui ex Martyre transfuga factus, ad balnea, quæ crudelis impietas, ut virtuti insidias faceret, ponè littus statuerat, sese recepit. Sed invenit ibi continuò mortem, qui vitam quæsierat, victurus, si mortem non fugisset. Interea cælo coronæ XL. delabuntur, & singulorū martyrum capita ambiunt, dumq; unam de custodibus aliquis vacare spectat, nō negligenda regna, quæ cælo venirent, existimans, simul Christianum se clamat, simul in aquas insiliens numerū felicissimum restaurat. Hunc generosum unius saltum omnes tibiis fractis luere : quasi verò in cælum pedum passibus, & non animi iretur. Inde, ut nullum non elementū triumpharent, ad rogum rapiuntur. Sed dum Melithon negligitur natu minimus, ecce tibi mater adest Spartana, sublatumq; in humeros ad cumulum reliquorum asportat, eo animo, ut superesset, unde animos morienti filio adderet. Exuisse hanc alii matrem dicent ; ego melius meruisse de filio puto, cùm sic ad rogū humeris, quām cùm olim utero ad vitam ferret. Ex S. Bas. hom. 20.

Vani inspectores sumus, & laudatores improbi, cùm Sancti coronantur & accipiunt palmas, eò quòd in agone legitimè certaverint, si non & ipsi pro modulo nostro ad ea pertingere laboramus. S. Hildeph. ser. de assumpt. beatæ Mariæ Virg.

S. FRAN-

 C
 aut I
 lexiu
 ipsu
 mod
 lio E
 char
 aspe
 fact
 offic
 noē
 pro
 perp
 qua
 quā
 bui
 etia
 tui
 An
 aspe
 am
 dec
 mu
 qu
 for
 qu
 ter
 Se
 ne
 bil